



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Dubium II. Quotuplex sit præceptum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

602

Inst. 3 Si certus sim me debuiffe Petro 100, quamvis mihi probabile fit, quòd solverim, tamen si id certò non probem, attinebor à Judice, ut solvam, licèt fortè per accidens bis solvam; ergo similiter hic, quia forum internum debet conformari externo, ubi non est certum, quòd externum nitatur errore vel præsumptione falsâ. *R.* si antec. fit verum, de quo in l. 3 p. 2. n. 452. & 571., ideo est, quòd mea probabilis solutio nihil tollat de jure certo, quod antecederet habuit Petrus, hinc dato antec. negabo conseq. E. contrà si mea probabilis solutio reddat jus Petri incertum, jam pro me erit certa possessio libertatis & pecuniæ meæ, cui non præjudicabit jus incertum Petri, hinc negabo antec.; & sic est in nostro casu, nam adimpletio probabilis reddit legem in his circumstantiis incertam, ergo facit cessare illius obligationem.

603

Obji. 2. Possessio libertatis certa non tollitur per legem incertam, ergo possessio legis certa non tollitur per libertatem incertam, sed ubi adimpletio legis est tantum probabilis, libertas est tantum incerta, ergo. *R.* n. I. seq., lex incerta nihil tollit de ratione libertatis, cum lex incerta reipsa non sit lex nec ullo modo obliget, è contrà ubi adimpletio legis est probabilis, tollitur aliquid, quod est de ratione legis hic & nunc obligantis, nempe applicatio & notitia sufficiens obligationis illius.

An lex obliget cum periculo peccandi formaliter: item an lex obliget etiam ad evitandum periculum transgrediendi se, dicitur l. 5. à n. 252.

604

DUBIUM II.

Quotplex sit præceptum?

R. Espondeo. Præceptum dividitur I. universaliter, in Affirmativum & Negativum. Illud est,

est, quod bonum præcipit; hoc, quod malum prohibet. Differunt inter se, quod affirmativum obliget quidem semper, sed non ad semper, seu non pro omni tempore: v. g. Honorandi sunt parentes, non semper, sed suo tempore. Negativum obligat, & semper, & ad semper. *Vid. Bec. in 1. 2. 1. 3. cap. 1. q. 3. n. 5.*

2. In Naturale & Positivum. Præceptum Naturale, sive juris naturæ, est dictamen seu iudicium nostræ rationis, quo per lumen nobis ab authore naturæ impressum statuimus quid agendum, & quid vitandum sit, quale est illud; Bonum est faciendum; malum fugiendum. Ex quo præcepto generali particularia, v. g. Deum esse colendum, nemini faciendam esse injuriam, imò omnia præcepta Decalogi, (exceptâ circumstantiâ Sabbati) multaque alia derivantur. Præceptum Positivum, seu Juris Positivi est, quod in libera Dei vel hominum voluntate positum est, & ex eadem dependet, v. g. præceptum de Baptismo, jejuniis quadragesimali, &c.

Porrò quomodo Præcepta positiva mutari & variari possint ac solent; naturalia verò semper manent, vide apud *Scholasticos & Lessl. 2. c. 2. dub. 2.*

Resp. II. Præceptum Positivum dividitur in Præceptum Juris divini, quod scilicet à Deo traditum est; & in Juris humani, quod ab homine. Positivum Divinum dividitur in præcepta Veteris & Novæ Legis. Lex vetus continebat præcepta moralia, cæremonialia & judicialia, de quibus vid. *D. Thom. 1. 2. q. 99. & seqq.* Lex nova continet præcepta supernaturalia fidei & Sacramentorum. Positivum humanum dividitur in præceptum Juris Ecclesiastici sive Canonici, quod auctoritate Ecclesiæ, scilicet Summi Pontificis aut Concilii statu-

“ tum est: & Juris Civilis seu Politici, quod fun-
 “ datur in potestate seculari.

A D D E N D A.

605 Q. 28. Quid sit jus gentium. R.
 §. I. A multis malè describitur; nam 1. Juristæ jus naturale, jus gentium & jus civile ita distinguunt, ut dicant jus naturale esse, quod natura animalia docuit; jus gentium, quod ratio naturalis inter homines constituit, & quo omnes homines utuntur; jus civile, quod quisque populus sibi constituit: inde inferunt aliqui, jus naturale strictè, esse illud, quod præscribit tale quid, cui simile ipsa bruta faciunt ex instinctu naturæ; jus gentium, quod præscribit tale quid, cui simile bruta instinctu naturæ non faciunt, ita tamen clarum est, ut omnium propè gentium, quæ legibus utuntur, vel lege vel consuetudine fit receptum. *Sed contra* est, nam invidia, læsiones, neces, furta, fornicationes, coitus cum matre &c., sunt contra jus naturæ, & tamen fiunt à brutis: deinde jus naturale malè extenditur ad bruta, quæ non sunt capacia legum. 2. Alii dicunt jus naturale esse, quod sine discursu innotescit; jus gentium, quod per discursum necessariò è jure naturali sequitur. *Contra*; Dantur multæ leges naturales, quæ solo discursu innotescunt: deinde jus gentium non est in omnibus ita necessarium, quin mutuo consensu abrogari possit, uti patebit ex dicendis. 3. Alii dicunt jus naturale esse, quod obligat omnes homines nullâ factâ suppositione Societatis humanæ; jus gentium, quod obligat factâ tali suppositione. *Contra*; Fides conjugalis est juris naturæ, & tamen supponit Societatem hominum; idem est de honorandis parentibus, colendis benefactoribus &c. 4. *Vasq.* dicit

est jus gentium esse permissiones quasdam juris naturalis omnibus nationibus communes, uti quod liceat vim vi repellere. *Contra*; Datur jus gentium etiam obligatorium, uti postea assignabitur. Has omnes aliasque sententias pluribus confutat *Suar.* hic l. 2. c. 17. & seqq.

§. II. Jus gentium melius sic definitur; lex non scripta, quæ per liberam omnium aut ferè omnium nationum consensionem & usum recepta, vim obligandi habet, ita ferè *Suar.* & *Aversa* hic q. 94. l. 4. Dicitur, 1. *lex non scripta*, quod per modum generis ponitur: 2. *Vim obligandi habet per liberam consensionem*, per quod differt à jure naturali, cui licet sit vicinum & affine, eò quodd facile ex ipso formetur seu deducatur, uti rectè docet *S. Th.* 1. 2. q. 95. a. 2. & 4., ideoque dici possit esse aliquid quasi medium inter legem naturalem & positivam, reipsa tamen est potius lex positiva, uti docet *S. Th.* supra: 3. *Per consensionem & usum omnium ferè nationum*, per quod differt ab aliis legibus positivis, quæ non ita latè se extendunt ad omnes nationes, nec introducuntur per usum hominum, sed per dispositionem legislatoris: sic ad jus gentium spectant divisio bonorum, limites possessionum, receptio Legatorum, usus mercimoniorum, commercium litterarum: item ut non inficiantur aquæ, nequidem inter hostes; non venenentur herbæ aliaque ad sustentationem vitæ necessaria &c., de quibus omnibus plura videri possunt apud *Suar.* supra.

Q. 89. *Quæ lex sit pœnalis, & quid circa eam notandum.* R. 607.

§. I. Lex dividitur in moralem, pœnalem & mixtam: moralis est, quæ in conscientia & sub culpa Theologica obligat, non tamen sub pœna infligenda ab hominibus; pœnalis, quæ ratione sui immediate

mediatè obligat tantùm sub pœna; mixta, quæ obligat sub culpa Theologica simulque sub pœna, unde audiendi non sunt, qui apud *Moyam* t. 1. c. 6. d. 4. q. 3. à n. 19. & *Dianam* p. 1. tr. 10. R. 20. non agnoscunt in lege ulla obligationem sub culpa & pœna, sed volunt omnes esse, vel morales tantùm, vel tantùm pœnales.

608 §. II. Quamvis lex pœnalis ratione sui non obliget sub culpa, potest tamen aliunde esse obligatio sub culpa, ne fiat hoc, quod etiam per legem pœnalem prohibetur, v. g. si Princeps per legem pœnalem intentet mortem illi, qui è vivario suo capiet feram, qui hanc capiet, incurreret culpam Theologicam, imprimis furti, quia fera inclusa, est sub stricto Dominio includentis; deinde etiam homicidii seu occisionis sui, si temerè se exponat isti periculo mortis; hæ tamen culpæ non sunt ratione legis pœnalis, sed legum naturalium vetantium furta & occisionem sui; similiter quamvis lex pœnalis immediatè obliget tantùm sub pœna, mediatè tamen obligat etiam sub culpa, quia transgressor obligatur in conscientia pœnam solvere, amittitque jus, v. g. ad pecuniam promulceta impositam, saltem si exigatur.

609 §. III. Lex pœnalis, alia est latæ sententiæ, alia ferendæ; signum, quodd sit latæ sententiæ, est, si lex ita habeat, quisquis hoc fecerit, ipso facto pœnam incurret, sit excommunicatus, excommunicamus eum, ex tunc sit reus pœna, tunc subiaceat pœna, sciat se incurrisse pœnam &c. Signum, quod sit ferendæ sententiæ est, si solum minetur pœnam, dicendo v. g., prohibemus sub pœna excommunicationis, excommunicabitur, excommunicetur, sit reus, erit reus pœna, obligetur, obligabitur, subiacebit pœna &c. In dubio autem censenda est esse tantùm ferendæ sententiæ quia in pœnalibus causis benignius

gnius interpretandum est, uti habent regulæ juris
n. 826. referendæ.

§. IV. Si legislator primò præcipiat aliquid, & 610
postea constituat pœnam transgressoribus, signum
est, quòd sit lex mixta; è contrà si lex directè nil
præcipiat, sed tantùm pœnam imponat iis, qui rem
aliquam egerint vel omiserint, signum est, quòd sit
tantùm pœnalis, v. g. si dicat, *omnes cras veniant
ad templum. Et qui non venerit, pendet 10. aureos*,
est mixta; si autem dicat, *qui cras ad templum non
venerit, pendet 10. aureos*, est pœnalis.

§. V. Si res præcipiatur sub pœna non gravi, v. 611
g. sub excommunicatione minore, sub interdicto ad
breve tempus &c., obligabit tantùm sub veniali: si
præcipiatur sub pœna gravi, sed ferendæ priùs sen-
tentiz, non semper intelligi poterit obligare sub cul-
pa gravi uti rectè cum aliis *Lugo de just. d. 6. n. 51.*,
sæpe enim pœna est ad terrendum: & universaliter
loquendo, si lex tam civilis quàm Ecclesiastica ferat-
ur verbis præceptivis, & materia sit gravis, videtur
probabilius cum *Castrop. hic d. 1. p. 5. Illf. t. I. d. 2.*
n. 33. & aliis contra *Nar.*, quòd lex non sit purè pœ-
nalis sed mixta: si autem non feratur verbis præce-
ptivis sed indifferentibus, licèt pœna gravis impo-
natur, censenda erit esse purè pœnalis, quia talis pœ-
na imponi potest propter culpam civilem, neque ra-
tio est interpretandi legem in majori rigore, cum
hæc obligatio sub pœna sufficiat ad finem legis obti-
nendum, qui est commune bonum per observatio-
nem rei à lege intentæ: in omnibus tamen consuetu-
do & sensus communis est optimus legum interpres:
suntque etiam attendenda verba legis, uti dicitur
n. 660.

§. VI. Leges Ecclesiasticæ latæ sententiæ inferen- 612
tes censuram obligant ante omnem iudicis sententi-
am,

am, reliquæ pœnales latæ sententiæ sæpe non obligant ad pœnam actu solvendam, nisi præcesserit sententia declaratoria criminis, uti docent *Gran. Mol. Covarr. Vasq. Lex. Less. Suar.* in 3. p. T. 5. d. 13. l. 2. §. nonnulla, *Sylvius* in Resol. variis p. 1. V. *beneficium*, cas. 5. aliique apud ipsum pluresque adhuc apud *Leuren.* p. 2. q. 288., & colligitur ex cap., *cum secundum leges*, De hæreticis in 6., ubi postquam *Bonif. VIII.* statuisset bona hæreticorum ipso jure esse confiscata, addit, prius debere ab Episcopo fieri promulgationem criminis: idem est de crimine læsæ Majestatis, item de beneficiis, si quis ipso facto dicitur privari in pœnam criminis, nisi adderetur inquit *Sylvius*, quòd ipso facto in conscientia deberet beneficium dimittere ante quamvis sententiam etiam declaratoriam criminis: putantque *Sanch. Covarr.* & alii præter declarationem criminis etiam præquiri executionem sententiæ, nisi praxis, consuetudo vel verba legis ad aliud cogant, quia lex pœnalis, quantum potest, benignè interpretanda est, uti antè dictum, reipsa enim nimis durum videtur in se ipso exequi talem pœnam: aliud tamen est, inquit *Sa V. beneficium*, si lex dicat, quòd collatio beneficii, v. g. propter Simoniam non valeat, tum enim ante omnem sententiam non valet: putat tamen *Illf.* n. 73. privationem beneficii non incurri nisi post declarationem criminis. Vide dicenda l. 3. p. I. à n. 215. & l. 4. n. 943. Quòd si lex consistat in privatione, ita ut faciat aliquem inhabilem ad acquirendum, v. g. ad habendum titulum, ad faciendum fructus suos, *Pirh. De Cler. non resid.* n. 54. citans *Castrop.* docet incurri pœnam ipso facto absque ulla sententia vel declaratione: *Illf.* n. 72. universaliter concludit, quamvis adderetur, *ipso facto ante declarationem*, tamen de facto nullam dari legem pœna-

lem,

lem, quæ nullâ præmissâ Judicis sententiâ denun-
 ciantem vel pœnam vel crimen, obliget, exceptis legi-
 bus statutibus censuram Ecclesiasticam, irregulari-
 tatem, reservationem absolutionis, impedimen-
 tum criminis in matrimonio, privationem petendi
 debitum conjugale ratione incestus intra secundum
 gradum, privationem fructuum ob neglectas Horas.
 Vide etiam dicenda l. 4. n. 943. Addit tamen rectè
Illf. n. 74. irritationem actus statutam ob neglectum
 formæ requisitæ ad contractum, testamentum, ma-
 trimonium &c. item privationem boni necdum ob-
 tenti sed prius obtinendi sub conditione evitati cri-
 minis, propriè non esse pœnas, & ideo incurri ante
 omnem sententiam ac declarationem. Circa pœnam
 legis irritantis videri possunt *Illf.* à n. 78. & *Leur.*
 p. 3. q. 167.

§ VII. Si multa pecuniaria fuerit imposita, quæ 613
 ipso facto incurratur, adhuc non teneris solvere, ni-
 si exigatur, quia sic habet praxis & usus communis,
 inquit *Castrop.* d. 2. p. 4. n. 6.

§ VIII. Si pœna sit nimis difficilis & superet hu- 614
 manam infirmitatem, uti mors, mutilatio, gravis
 infamia, lex non obligat reum ad illam per seipsum
 exequendam aut sponte adeundam, sed potest licitè
 fugere vel declinare, etiam effracto carcere & dece-
 ptis custodibus, uti rectè explicat *Busenb.* referen-
 dus l. 4. n. 1525. docentque communiter A A cum
Illf. n. 75.

§ IX. Pœna conventionalis ex mutuo consen- 615
 su imposita, v. g. illi, qui à contractu resiliet, debet
 solvi, si alter perat, etiam ante omnem sententiam
 Judicis, uti dicitur l. 3. p. 2. n. 506.

§ X. Damnatus ad exilium, censeri debet da- 616
 mnatus, non ad perpetuum sed temporale; item fi-
 lius natus ex parente hæretico de jure est irregularis,
 si ta-

661. si tamen parens postea fit Catholicus, filius non erit irregularis, quia dicetur filius Catholici; & idem est de similibus casibus. Ratio est, quia leges pœnales sunt odiosæ, odiosa autem sunt restringenda & in benigniorem partem interpretanda, uti n. 609. dictum est: hinc lex pœnalis non debet extendi ad similes vel etiam majores culpas, sed tantum ad expressas in Jure, sic bis baptizatus est irregularis, non tamen bis confirmatus, quamvis sit peccatum simile; legens libros hæreticos excommunicatur, non tamen audiens conciones hæreticas, quamvis hoc fit de se gravius & periculosius: quod maximè valet de lege pœnali exorbitante vel correctiva juris antiqui, quæ ob similitudinē vel identitatem rationis extendi non debet ad casus alios, *Laym. Pirh* l. 3. t. 5. n. 171. Quomodo autem pœnæ lætæ in reum lætæ Majestatis cadant etiam in filios, explicat *Delbene* de *Imm.* Eccl. c. 16. d. 23. f. 1.

617 §. XI. Si feratur censura tantum post novam monitionem incurrenda, non fertur præcisè ob factum præteritum, quod de se fortè non erat peccatum mortale; sed ob factum præteritum prout habens adjunctam pertinaciam vel contemptum monitionis, sic enim fit culpa gravis.

618 §. XII. Quando effectui externo imponitur pœna, v. g. Vulnerationi, quam sequitur mors, si mors tum prius sequatur, quando causa voluntaria illius est revocata, nihilominus incurritur pœna irregularitatis, sicuti obligatio restitutionis incurritur ex actione damnosa, licet de hac aliquis efficaciter doleat, uti rectè *Suar. Sanch.* aliique cum *Dicast.* de *juram.* d. 2. n. 185. 274.

619 Q. 90. *Quanam lex dici debeat favorabilis, quanam odiosa. R.*

§. I. Plures malè explicant, nam *Tirag.* putat legem

legem illam esse absolute odiosam, quæ alicui affert gravamen, sed *contra* est, quia sic omnis lex est odiosa, quia affert obligationem, quæ est gravamen. *Alii* dicunt illam esse favorabilem quæ pro fine habet bonum commune, sed *contra*, ergo omnis lex est favorabilis, quia omnis lex, etiam poenalis, pro fine habet bonum commune.

§. II. Probabilius cum aliis dicunt *Covarr.* 620
Sanch. Sal. Castrop. d. 1. p. 2. illam legem esse favorabilem, cujus materia præcepta est conveniens & veluti beneficium eis, quibus præcipitur, uti sunt leges, quæ apponunt solemnitates contractibus, ut sic vitentur fraudes; item signantes taxam mercibus, ut ad certum valorem vendantur: si autem materia illis sit onerosa, uti leges vestigalium, aut imponentes poenam transgressoribus, erit odiosa.

§. III. In dubio, an lex sit odiosa an favorabilis, 621
quia nempe non apparet, quid præponderet, censenda est favorabilis, quia de Principe potius beneficium quam odium præsumendum est, ita *Gloss. Bald. Suar.* & alii cum *Castrop. supra & Illf. t. 1. d. 2. n. 8.* Notant etiam *Bald. Dec. Paris. Chok. Leur. p. 3. q. 334.* legem posse esse uno respectu favorabilem, alio odiosam; dici tamen simpliciter favorabilem vel odiosam, attendendo ad hoc, quod principaliter in ea agitur. Atque hæc serviunt pro applicanda Regula 15. de Reg. Juris in 6. *Odia restringi & favores convenit ampliari.*

§. IV. Dispensationes, itemque privilegia facta 622
privatis contra legem communem vel contra consuetudinem communitatis, sunt odiosa, & ideo restringenda, lex enim & communitas prævalent, exiguntque omnes subditos esse pares in obligatione, uti habet communis cum *Suar. Castrop. Sanch. de matr. l. 8. d. 1. n. 3. & seqq.* Hinc qui obtinuit dispensationem

sationem pro prima tonsura, non præsumitur ob-
nuisse pro minoribus, uti communiter docetur con-
tra *Dianam* p. 9. tr. 8. R. 22., habens autem dispen-
sationem pro ordinibus præsumitur habere tantum
pro minoribus, *Sanch. Suar. Diana* alique commu-
niter cum *Leur.* p. 1. q. 269 contra *Marchinum &*
Cen. De Sacram. d. 33. d. 2. n. 29. : Si tamen petens
habeat Minores, & dispensans id sciat, præsumitur
dispensasse pro Majoribus, ne dispensatio sit frustra,
etiam pro Sacerdotio : quod si dispensatio sit ad om-
nes Ordines, nullus excipitur præter Episcopatum,
qui simul est dignitas, ita *Sanch.* & alii: consequenter
dispensatio ad beneficium, ut sic habeatur titulus Or-
dinationis, non censetur ad Curatum sed simplex ;
item facta ad beneficium curatum non est extenden-
da ad Canonicatum, qui simul est dignitas, ita post
alios *Diana* supra : Similiter dispensatus, ne resideat,
non est dispensatus, ut accipiat fructus, qui absentibus
dari non solent : & ideo *Sanch.* & *Lugo* in Resp.
Mor. l. 5. d. 19. n. 3. dicunt, *dispensatio non exten-*
ditur ad annexa separabilia, quoties id, super quo
principaliter dispensatur, potest sortiri effectum,
licet non ita plenè. Vide *Illf.* t. 1. d. 3. à n. 32., item
hïc dicenda n. 839. Item *Leur.* supra, & q. 286. n. 3.

623 § V. Privilegium qualecumque concessum in
bonum alicujus communitatis & nemini præjudi-
cans, est amplè interpretandum : item, quod cedit in
favorem Ecclesiæ, religionis vel piæ causæ, licet ali-
quo modo deroget Juri communi, uti cum *Diana*
probat *Castrop.* d. 4. p. 10. Hinc de privilegio, quo
v. g. integer Ordo eximitur à jurisdictione Ordina-
rii, docent *Henriq.* & *Sanch.* in Conf. l. 6. c. 9. d. 1.
n. 40. debere amplè explicari : quod idem dicit *Ca-*
strop. p. 9. de privilegio, quo Ordo eximitur à solu-
tione decimarum, si fiat ob causam bono communi
& re-

& religioni utilem : etiam late interpretanda sunt privilegia inserta juri communi ; item quæ conceduntur motu proprio & ex certa scientia, uti ostendit *Castrop.* p. 10., ubi & seqq. punctis plura habet huc spectantia : & de privilegiis plura addemus à n. 832.

Q. 91. *An verum sit, quod lex & præceptum ponat actionem præceptam vel prohibitam in ea virtute, quam præcipiens intendit, sive ex cujus motivo præcipit.* R. 624

§. I. Ut intelligatur status quæstionis, v. g. pater graviter præcipit filio, ut maneat domi, eo fine, ut sic consulat ejus castitati, *Quæritur*, an illa mansio domi, non tantum spectet ad virtutem obedientiæ, sed etiam castitatis, propter quam in filio conservandam pater id præcipit, & ita de aliis : est autem hæc quæstio magni momenti in ordine ad praxin, nam si ejusmodi præceptum ponat materiam præceptam etiam in altera virtute, v. g. castitatis, transgressionalis præcepti continebit duas specie malitias, unam contra obedientiam, alteram contra castitatem, unde filius transgrediens non satisfaciet dicendo in Confessione, semel transgressus sum grave præceptum parentis mei, sed addere debet, imperantis mihi aliquid ex motivo castitatis.

§. II. Aliqui apud *Arr.* de peccatis d. 41. n. 32. dicunt, quod solum præceptum Supremi Principis ponat rem præceptam in virtute illa, ex cujus motivo ipse præcipit, non autem præceptum subordinati Superioris : alii putant præcepta particularia id non facere : *Vasq.* dicit vota saltem, quæ quis privatim pro se emitit, hoc non facere, sed *Arri.* contendit præcepta omnia, etiamque vota id facere, vel nulla omnino præcepta id facere, dicit enim eandem esse de omnibus rationem : hinc docet, quod nullum o-

minino præceptum ponat rem præceptam in ea virtute, ex cuius motivo ponitur præceptum, fatetur tamen, si v. g. Superior in Monasterio prohibeat suis, ne in plateam per fenestram aspiciant, ne fortè lædatur castitas, si quis aspiciat, huic transgressioni inesse duplicem specie malitiam, etiam in Confessione explicandam, nempe duplicis inobedientiæ, putat enim ex voluntate præcipientis addentis novam obligationem accedere novam inobedientiam specie distinctam: atque hanc *Arriagæ* sententiam vocat valde probabilem *Gob. in Quin. tr. 5. c. 6. n. 4.*; Sed *contra* est, nam ostendi non potest, unde desumatur illa duplex specie distincta inobedientia: unde *Leander à Murcia* apud *Carden. in I. crisi d. 40. à n. 1.* absolutè docet nullam novam malitiam superaddi, ex quocumque tandem fine intendatur actio præcepta, *Rationem* dat, quia finis præcepti non cadit sub præceptum, ergo licet Superior imperet aliquid ex fine seu motivo v. g. religionis, non ideo res præcepta spectabit ad virtutem religionis, & consequenter virtus religionis non poterit refundere novam speciem malitiæ in transgressionem. Sed *contra* est, nam hic Auctor videtur illa duo confundere, *Finis præcepti non cadit sub præceptum: Præceptum non specificatur à fine:* primum est verum, nempe quòd finis præcepti non cadat sub præceptum, id est, quando implet opus præceptum, non teneris illud referre ad finem, ob quem est præceptum, (nisi fortè intentio finis per distinctum præceptum præciperetur) sed satis est, quòd rem præceptam exequaris, v. g. dum Ecclesia ex motivo temperantiæ præcipit jejunare, non est opus, ut tu jejunans referas jejunium ad temperantiam, sive ut velis jejunare, eo fine, ut te mortifices, sed satis est, quòd re ipsa jejunes ex quocumque tandem motivo, sic enim implet præceptum,

ptum, cū intentio illa altera non præcipiatur: quando autem dicitur, quod præceptum non specificetur à fine, id est, quod præceptum non constitua- tur in suo esse per ordinem ad hunc vel illum specia- lem finem, ob quem præceptum ponitur, hoc fal- sum est, uti jam dicitur.

§. III. Præceptum, si præcipiens ita velit, ponit suam materiam in ea virtute, ex cujus motivo præ- cipitur, ita *Lugo* de poen. d. 16. n. 255. *Carden.* alii- que communissimè. *Probat*ur 1. quia actus speci- ficatur à fine etiam extrinseco, propter quem poni- tur, sic si fureris, ut te inebries, actus ille est in specie furti & ebrietatis, imò eo fine furans dici debet po- tius intemperans quàm fur, uti ex *Arist* & *S. Th.* notat *Palav.* hìc d. 9. q. 2. a. 2. n. 2., ergo pariter dici debet, quòd lex specificetur à fine etiam extrin- seco, sicuti omnis electio medii specificatur à fine in- tento, nam lex æquè essentialiter finem illum respicit & actionem aliquam imperat tanquam medium ad illum finem; & ideo talis lex prohibens curiosum aspectum in plateam, ne lædatur castitas, est lex, non tantum modestiæ, quàm oculorum curiositas reprimi- tur, sed etiam castitatis, imò magis est castitatis quàm modestiæ, quia pro fine habet castitatem, & mode- stiam pro medio tantum. 2. Comedere carnes die Veneris non est de se contra virtutem abstinentiæ, & tamen quia præceptum prohibens eam comestio- nem est positum ex motivo abstinentiæ, hinc come- dere carnes die Veneris est contra virtutem absti- nentiæ: Item propriâ auctoritate permutare bene- ficia, de se non est contra virtutem religionis, quia tamen Ecclesia hoc prohibet ex motivo religionis, talis permutatio est simoniaca & contra virtutem re- ligionis: uti dicitur l. 3. p. 1. q. 21.; similiter si Ec- clesia vel quivis alius Superior æquè primariò &

principaliter imperaret jejunium, hodie ex motivo temperantiæ, cras ex motivo religionis, erunt duo specie præcepta, & consequenter si utrumque frangas, erunt duo specie peccata specialiter explicanda in Confessione; & idem est de aliis infinitis exemplis, ergo certum videtur, quod præceptum ponat materiam præcepti in ea virtute, ex cuius motivo præcipitur. 3. Lex præcipiens pro fine habet, non tant obedientiam per exhibitionem operis præcepti, quàm bonum subditorum, propter quos est lex, bonum autem, quod lex hæc vel illa intendit conciliare subdito, est honestas hujus vel illius virtutis, quam ejusmodi subdito lex intendit applicare; & idem est de lege prohibente, quæ à subdito intendit removere hanc aut illam inhonestatem, ergo lex facit materiam suam esse medium ad talem honestatem conciliandam vel inhonestatem removendam, ergo facit materiam suam spectare ad talem virtutem, ex cuius motivo ponitur.

§. IV. Ut lex vel præceptum proximè obliget subditum ex illa virtute, ex cuius motivo lex vel præceptum ponitur, tria requiruntur, I. id, quod præcipitur, debet aliquo modo conducere ad finem istius virtutis, saltem perfectiùs consequendum, si enim nullo modo conduceret, non esset referibile tanquam medium ad illius honestatem consequendam. 2. Si non sit aliunde notum, debet Superior exprimere se ex illo motivo præcipere, nam actio non præsumitur præcipi, nisi ex motivo suo intrinseco, v. g. jejunium non præsumitur præcipi, nisi ex motivo temperantiæ, hinc si superior præcipiat etiam ex motivo v. g. religionis, ad colendum Deum, debet hoc exprimere, quia cum hoc pendeat à sola ejus voluntate, nec sit frequens, aut saltem non sit connaturale, ut aliquid præcipiatur ex motivo extrinseco, præsumi

mi non debet. 3. Non est satis, quòd superior ducatur illo motivo, idque etiam manifestet, sed debet etiam velle imponere obligationem illius virtutis, & rem præceptam facere esse materiam ejus necessariam, alioqui non erit obligatio talis virtutis apud subditum; sic Ecclesia præcipit jejunium in vigilia S. Andreae, utique etiam ex motivo extrinseco religionis, ad honorem Dei & S. Andreae, quia tamen Ecclesia id nobis non manifestat, aut saltem istam obligationem religionis non imponit nobis, nec vult hoc jejunium esse materiam necessariam virtutis religionis, qui isto die non jejunat, non peccat contra religionem, sed tantùm contra temperantiam.

§. V. *Objicies* Præceptum particulare & votum 628 non ponunt materiam suam in diversa virtute, licet ex ejus motivo ponantur, ergo nulla lex vel præceptum id facit. *Prob. antec.*, nam si pater graviter imperet filio, aut si quis apud se voveat, hodie jejunium, cras officium defunctorum, utique præcipiens & vovens habebunt pro singulis diebus diversos fines & motiva, & tamen si transgrediantur, sufficiet in Confessione dicere, bis in re gravi fui inobediens Patri, bis grave votum transgressus sum, ergo. *R.* Præceptum particulare & votum non ponunt suam materiam in tali alia virtute, si præcipiens & vovens id nolit, c. si velit, n. antec, & similiter c. & n. conseq. Et quidem *r.* quod præcipientem attinet, multi docent eum pro fine principali habere solam honestatem obedientiæ; è contrà *Castrop.* de peccat. d. 3. p. 3. n. 12. *Dicast.* de poenit. d. 9. n. 487. aliique cum *Stoz* l. 1. p. I. n. § 2. dicunt potiùs pro fine habere honestatem illius alterius virtutis, ad quam actio præcepta pertinet, vel ex cujus motivo ponitur præceptum, quod videtur conformius dictis n. 626., quidquid tamen sit de hoc, si præcipiens nolit illud, quod

præcipit, esse materiam necessariam illius alterius virtutis, qui transgredietur, non peccabit contra hanc virtutem, è contrà si velit esse, contra hanc peccabit; hinc docet *Oviedo* de peccatis contro. 2. n. 26., si Superior mihi imperet jejunium ex solo motivo temperantiæ & non obedientiæ, si observem, etiam quia præceptum est, me fore temperantem & obedientem, si autem non observem, me fore intemperantem sed non inobedientem, quia jejunium per tale præceptum fit materia necessaria temperantiæ, & non fit materia necessaria, sed tantùm apta obedientiæ, aliud enim est objectum pertinere ad hanc virtutem, aliud esse materiam necessariam hujus virtutis, nam quæ sunt de consilio, v. g. jejunium die non præcepto, spectat ad virtutem temperantiæ, non tamen est materia ejus necessaria. 2. Quod attinet ad votum, vovens ordinariè pro fine principali habet solam honestatem fidelitatis erga Deum, & quamvis posito voto Deus præcipiat illud servari, tamen materia hujus præcepti divini est talis fidelitas servanda, uti pluribus explicat *Dicaſt.* Suprà: de cætero, quòd vovens possit facere, ut hoc, quod vovet, sit materia necessaria illius virtutis, ex cujus motivo vovet, docent *Valent.* 2. 2. d. 6. q. 6. p. 4 q. 1. concl. 2. *Sanch.* in Decal. l. 4. c. 11. n. 23. & alii, contra *Suar.* de voto l. 5. c. 3. n. 13. *Castrop.* t. 15. d. 1. p. II. n. 8. *Illf.* t. 5. n. 105. & alios: Ratio est, quia si ex amore melioris boni velit se obligare ad talem materiam propter honestatem talis virtutis, Deus voluntatem acceptat, & informando lege suâ facit esse obligatoriam in conscientia.

629 *Inst.* 1. Ergo si lex prohibeat religioso non aspicerè è fenestra, ne castitas patiatur periculum, qui aspiceret, sciens nullum esse periculum castitatis, esset luxuriosus ac peccaret, & quidem graviter, cum in mate-

materia castitatis non detur parvitas materiæ. R. Aliqui actus per se & ex objecto opponuntur alicui virtuti, uti pollutio castitati, ebrietas temperantiæ; alii opponuntur per accidens tantum & ratione legis, uti dictum est n. 6. 6. : hoc notato, nego talem dici posse luxuriosum, nam luxuriosus dicitur tantum ille, qui committit certos actus per se & ex objecto oppositos castitati: concedo tamen hunc aspicientem peccaturum contra castitatem, sed peccato diverso ab illis, quæ ideo prohibita sunt, quia mala; nec peccaret graviter, quia aspectus ille absente omni periculo est materia absolutè levis, in qua si lex intendere poneret obligationem gravem, esset irrationabilis: potest autem in materia, quæ per accidens tantum spectat ad castitatem, dari parvitas materiæ, uti & in materia periculi circa castitatem, cui quis se exponit, uti omnes fatentur.

Inst. 2. Castitas non prohibet talem aspectum, quando nullum subest periculum. R. Non prohibet, per se & absolutè, c, per accidens, suppositâ istâ lege, n, nam positâ istâ lege, in primis ommissio illius aspectus est necessaria ad conciliandâ subdito honestatem castitatis, ad quam sic quærendam lex illa obligat: deinde eadem lex imperat omissionem aspectus tanquam medium de se conducens ad castitatem, medium autem ut medium eò pertinet, quò finis, ergo positâ illâ lege ommissio aspectus spectat ad castitatem, ergo ad castitatem spectat prohibere talem aspectum veluti oppositum medio conducenti ad suam honestatem.

Inst. 3. Ordinatio illa extrinseca legislatoris non potest facere, ut talis aspectus habeat oppositionem cum castitate, quia in his circumstantiis non magis movet ad turpia, quàm si non fuisset prohibitus: & ratio à priori est, quia inhonestas, quæ ex natura rei reperitur in actibus de se vitiosis, non ideo reperi-

tur in actibus, qui etiam ex motivo alicujus virtutis imperantur, sic inhonestas contra temperantiam, quæ est in haustu inebriativo, non reperitur in haustu moderato, quamvis hic mihi prohiberetur ex motivo temperantiæ, ne inebriarer, illa enim ordinatio, cum sit extrinseca rei, non potest ipsi dare contrarietatem cum quacumque virtute, sed præcisè cum prohibitione. Similiter si Deus jam imperaret mihi actum fidei ex motivo honestatis, quæ est in fide, & ego nõ elicerẽ fidem, sed fabularer, nulli tamen articulo dissentirem, nec de ullo dubitarem, quis diceret me peccare contra fidem, esse hæreticum, aut habitum fidei amittere? ita *Arr. R.* Non potest facere, ut talis aspectus habeat, per se & ex objecto, oppositionẽ cum castitate, & per accidens & ratione ejusmodi legis, n, ex hoc autem, quod non magis moveat ad turpia, quàm si non esset prohibitus, tantum sequitur, quod per se & ex objecto non sit contra castitatem. Idem applica isti rationi à priori, nam ratione legis refunditur alia inhonestas, per accidens virtuti opposita; & ita licet actus moderatè bibentis, quãdo est lex nihil bibendi, non habeat contrarietatem per se & ex objecto respectu virtutis temperantiæ, habet tamen per accidens, & ratione legis vetantis hic & nunc omnem potum; & idem est de illo non eliciente fidem; non tamen est hæreticus, neque ideo amittit habitum fidei, quia ad hæc requiritur actus per se & ex objecto directè oppositus fidei; atque idem dicendum est in aliis similibus materiis virtutum.

Inst. 4. Ergo si quis sciret se per esum piscium moveri ad luxuriam, & Superior ex motivo castitatis illi imperaret esum piscium, comedendo pisces esset castus, non comedendo esset incastus. *R.* Comedendo pisces & absque consensu permittendo
motus

motus illos esset castus actu castitatis per accidens & ex lege tali, non comedendo autem esset incastus actu per accidens & ratione legis oppositæ castitati, quia nollet amplecti honestatem castitatis sibi per legem ejusmodi sub obligatione propositam

DUBIUM III.

630

An vis & substantia Legis positivè dependant ab acceptatione communitatis.

Respondeo. Etsi ita sentiant Canonistæ: item *Nav. Azor, &c.* citati à *Lay. l. 1. tr. 4. c. 3.* *Et* quod ponant leges hac tacitâ conditione ferri, si à populo fuerint acceptatæ, alioqui vim seu obligationem non habituras, verior tamen sententia est Theologorum, leges absoluti Magistratus non pendere à populi acceptatione & consensu, sed mox ut legitimè promulgatæ sunt, obligare populum ad recipiendum: præsertim in legibus Pontificis, qui suam potestatem non accepit à populo, sed Christo, *Vasq. Suarez. Molina, &c.* Unde à *Laym. l. c.* resolvuntur hi casus.

I. Episcopis ex officio incumbit, novas leges Pontificias, (ut Principibus, Imperatorias) promulgare per suas Diceceses, atque in usum deducere.

II. Si lex in Provincia promulgata sit, sed à majore parte populi non accipiatur nec observetur, tunc, si legislator id sciat & taceat, censetur hoc ipso legem revocare. Si verò id sciat & urgeat observationem, quisque tenetur eam servare; quia potius caput suum, quàm reliqua membra sequi debet.

III. Si Princeps nesciat non recipi, nec deduci ad usum, durat legis obligatio, donec elabatur decennium,